

OPUS AB «ORGANISATIONE MUNDIALI SANITATIS» PERFECTUM, AUXILIUM AD JUSTITIAM IN ECCLESIA REDDENDAM

SUMMARIUM: Iurisprudentia rotalis alcoholismum considerabat sub capite nullitatis «defectus discretionis iudicii», verum nunc novum exstat caput nullitatis «incapacitatis assumendi onera». Haec multiplicis originis esse potest, et etiam ex alcoholismo chronico, prout docetur a peritis. Hodie auxilio esse possunt ad discernendam incapacitatem non modo scientia plurimorum sed et «Organisationis mundialis sanitatis», a SS. PP. laudibus cumulate. Huius Organisationis quaedam proposita recoluntur ad discernendos gradus alcoholismi.

Iurisprudentia recens Apostolici Romanae Rotae Tribunalis usque adhuc affectionem ab alcoholismo chronico profluentem tractavit uti caput incapacitatis eliciendi validum consensum matrimoniale *«ob defectum discretionis iudicii»*, in can. 1095, 2º C.I.C. receptum, qui defectus percipere non sinit *«peculiarrem naturam et vim contractus matrimonialis saltem quoad eius substantiam, substantialemque valorem, in ordine ad matrimonium contrahendum»*¹.

His in supradictis casibus de infirmitate alcoholi-

¹ S.R.R. coram ANNE, 28 iunii 1965, n. 3; coram SABATTANI, 24 februarii 1961; coram ROGERS, 22 februarii 1965; coram PALAZZINI, 17 maii 1972; coram DAVINO, 5 februarii 1975; coram DI FELICE, 17 ianuarii 1975; coram STANKIEWICZ, 21 ianuarii 1982; coram AGUSTONI, 16 februarii 1982; coram FIORE, 6 novembris 1982; coram DAVINO, 29 martii 1983; coram DE LANVERSIN, 19 novembris 1983; coram BRUNO, 18 decembris 1986; etc.

ca tractantibus, statutum est de consensu praestito cum deficeret criterium «proportionalitatis», quatenus *«proportio debet servari inter capacitatem intellectivo-volitivam et obiectum formale matrimonii, hoc est iura-officia tradenda et acceptanda»*².

Attamen, si defectus iste discretionis iudicii versari debet circa iura et officia matrimonialia a sponsis mutuo tradenda et acceptanda in consensu matrimoniali praestando, exstat etiam in Codice I.C. novo, alium defectum qui, versari debet circa capacitatem matrimonii essentielles obligationes assumendi (cf. can. 1095, 3^o) quae, praeter ius in corpus perpetuum et exclusivum, ius quoque complectitur ad vitae consortium seu ad communionem vitae matrimonialis, una cum correlativis oneribus.

Re quidem vera hoc in ultimo casu, potest fieri quod quis

*«quamvis positivam voluntatem non foveat, tamen non valeat de seipso disponere ob incapacitatem adsumendi obligationes matrimonii essentielles. Evenit scilicet, ejusmodi in casibus, quod nubens, dum elicere vult veram voluntatem matrimonialem, optime intelligens atque pendens matrimonii naturam, tamen insimul invenitur incapax adimplendi quod sincere utique animo spondet. Cum vero iste contrahens nequeat promittere id cuius potestatem non habet, ejusdem voluntas matrimonialis fit inanis atque inefficax ob illam praeliminarem consensus incapacitatem, quae impedit quominus adsumantur conjugales obligationes, atque in specie ipsam possibilitatem relationis s.d. "interpersonalis" aufert inter subjecta foederis matrimonialis»*³.

² S.R.R. coram COLAGIOVANNI, 27 iulii 1984, n. 10; coram GIANNECCHINI, 17 iunii 1986, n. 6.

³ S.R.R. coram DE LANVERSIN, 19 nov. 1983, n. 4.

Causae autem illarum perturbationum

«possunt esse geneticae, constitutionales, ambientales, culturales vel maturationis processum laedentes. Nec ipsarum diagnosis fieri valet nisi ubi constet anomaliam esse habitua-lem (episodica non sufficit) atque personam notabiliter deterioratam efficientem»⁴.

Quapropter ad aestimandam deturbationem mentis his in casibus, solidata jurisprudentia Tribunalis Romanae Rotae tenet quod:

«Norma enim haec est juris naturalis, prout a doctrina expressum fuerat,

a) *«obligationes matrimonii essentiales sunt quae respiciunt sive bonum conjugum et bonum prolis ad quae consortium natura sua ordinatur (cf. can. 1055 § 1, C.I.C.), sive unitatem et indissolubilitatem, quae sunt matrimonii essentiales proprietates (cf. can. 1056, C.I.C.);*

b) *«haud valet obligationem assumere nupturiens qui eam adimplere non valet, quippe quae sit impossibilis psychice vel saltem moraliter (magna difficultas), nisi in hoc ultimo casu expresse se obligare voluerit;*

c) *«impossibilitas provenire debet, non tantum ex causa anatomica vel physiologica, sed ex causa naturae psychicae, v.gr. psychosi, neurosi, personalitatis perturbatione, psychosexuali abnormitate, prava consuetudine se inebriandi vel ludis aleatoriis vacandi;*

d) *«incapacitas existere debet momento praestationis consensus, quo vinculum oritur. Validitati non obstat incapacitas subsequens, nisi proveniat ex causa quae momento celebrationis jam aderat in actu primo proximo, v.gr. ex personalitatis perturbatione vel ex prava consuetudine jam acquisita. Non vero incapacitas quae non oriretur nisi accedentibus aliis causis postnuptialibus;*

e) *«nec incapacitas matrimonium nullum reddit si intra tempus prudens ordinariis mediis licitis sanari potest, quia non constaret de vera incapacitate»⁵.*

⁴ S.R.R. coram PINTO, 12 februarii 1982, p. 64.

⁵ S.R.R. coram PINTO, 30 maii 1986, n. 3.

Ad infirmitatem quae «alcoholismus chronicus» nuncupatur quod attinet, secus ac simplex ebrietas seu affectio alcoholica acuta, quae generatim conditionem psychicam transitoriam tantum secumferre dicitur, alcoholismus chronicus continet in se jam condicionem psychicam habitualement in quantum praebet complexum adulterationum somaticarum psychicarumque, ab usu immodico diuturnoque potuum alcoholicorum promanantium.

«Profecto gravitas huius affectionis chronicae apparet si consideretur: sive conductio pathologica, quae in hoc genere alcoholismi prospicitur, sicut irresistibilis perduratio propensionis in usum alcoholici potus, dependentia ab illo cum detrimento valetudinis psychicae ac mentalis, amissione moderationis, demum promptitudo destructiva relationum personalium vitaeque positionum⁶; sive etiam ponderetur degradatio personalitatis, ut dicitur, propter laesiones somaticas, alterationes psychicas, jacturasque sociales»⁷.

Doctrina psychiatrica, inter symptomata psychica alcoholismi chronici, enumerat perturbationes quae ad relationes interpersonales in conjugio pertinent, uti sunt: labilitas affectuum et inclinationum, egocentrismus et mobilitas ingenii seu humoris ab euphoria ad depressionem, non solum sensum moralem ac responsabilitatem debilitant, sed etiam voluntate et discretionem potiri vergunt.

Proinde, praeter haec, deturbationes jam descriptae ipsam realitatem relationum cum aliis necnon cum mundo externo offuscant atque inficiunt, quare is

⁶ Cf. CHAPTEZ, M.E., «Alcoholism and Alcoholic psychoses», in «Comprehensive Text Book of Psychiatry», Vol. II, Baltimore, 1976, pp. 319ss.

⁷ Cf. DE CARO, D., «Trattato di Psichiatria», Torino 1979, p. 363; in S.R.R. coram STANKIEWICZ, 21 januarii 1982, n. 4.

qui alcoholismo chronico afficitur facile ad confabulationes ac mendaciloquia inducitur ut memoriae lacunas, imminutam attentionem atque perturbatam rerum perceptionem contegere possit.

«Huc accedit etiam activitatis volitivae infirmitas, quae generatim manifestari solet voluntatis inertia seu abulia. Siquidem, ut dicitur: abulia est quae alcoholico potui deductum obstupefacit, atque paucissimis temporibus elapsis, in falsum vertit amplissimas pollicitationes»⁸.

«Sed voluntatis debilitas, quae modo se praebet uti lenta socordia vel exaggerata facilitas, modo autem sub inopinatis pulsibus mota, vel etiam in animo obstinato insulsoque permanente»⁹. Quapropter qui sub influxu alcoholici potus modo chronico sese gerunt absque reflexione ac inhibitione agunt, sub influxu tantum impulsuum, quare saepe manifestant abnormes reactiones cum actibus violentiae ac feritatis conjunctas, quin earum causa re ipsa inveniri queat»¹⁰.

His in adiunctis, nullum dubium quin relationes interpersonales coniugum redoleant ob ingenium dilapsum ipsius qui alcoholismo chronico afficitur, quod insignitum est non tantum per offuscationem affectuum eiusdem, sed etiam in propositis ab infirmo prosequendis modo levissimo impulsivoque, a quo opus voluntatis semper radicaliter intermittitur¹¹. Ideoque quoad vitam socialem horum infirmorum, jampridem sensus moralis in iisdem dilabatur vel etiam sensim sine sensu, omnibus auctoribus probatis

⁸ Cf. BLEULER, «Lehrbuch der Psychiatrie», ed. 10a, Tr. It. 1967, p. 324.

⁹ Cf. GOZZANO, «Compendio di Psichiatria clinica e criminologia», Torino 1971, p. 115.

¹⁰ S.R.R. coram STANKIEWICZ, 21 januarii 1982, n. 5.

¹¹ Cf. DE VINCENTIIS, CALLIERI, CASTELLANI, «Trattato di Psicopatologia e Psichiatria forense», Vol. I, Roma 1972, pp. 335-336.

testantibus, abolitur. De qua re etiam Romanus Pontifex PAULUS VI locutus est tanquam de flagello gravi in hodierna societate:

«Compertum est quomodo effunditur abusus potus alcoholici, Nobisque notae sunt consequentias huiusmodi flagelli: animi et corporis impensae molestiae et anxietates, interdum ad mortem ducentes. Praesertim consilia totius animi infirmi revera obcaecantur, et quandoquidem in ratione reddenda actuum suorum deficit liberum arbitrium hominum infirmorum»¹².

Ad dignoscendas perturbationes istas mentales, in processibus matrimonii sacramentum pertinentibus, iudex quidem plerumque tenetur sententiam peritorum in arte expetere (can. 1680), et in iudicio suo ferendo argumenta istiusmodi peritiae aestimare atque ponderare luce tum regularum canonicarum tum probatorum Auctorum, uti tenet constans iurisprudentia Nostri Fori.

Ast nostris temporibus, in materia tam implexa ac tenuitates discriminum plerumque praebente, uti sunt scientiae psychiatricae vel psychologicae, cum diversae sint opiniones et methodus investigationum ex diversis scholis promanantes, ad succurendum iudicem in suo munere opinionis propriae efformandae, investigationes, operationes et conclusiones aliquando iam paratas praebent nonnulli Concilii Internationales, uti adnotat Summus Pontifex PAULUS VI:

«Conscii estis opus vester in servitium singulorum hominum proficere, quorum vita vel saltem "qualitas vitae", uti contenditur hodie, ab operatione vestra, ab investigatio-

¹² PAULUS VI: «*Allocution aux dirigeants de l'International Calix Society* (Baltimore), 11 maii 1974; in «*Documentation Catholique*» 1974, p. 503.

nibus vestris, a decisionibus vestris saepissime pendet. Pretium autem huiusmodi operis Instituti v.d. O.M.S. habetur in praeservatione vitae uniuscujusque hominis; et in proposito futuro ejusdem Instituti, quomodo subvenire intenderit omnibus s.d. "marginalibus hominibus" in hodierna societate, qui revera sese manifestant uti minus evoluti, debiles, toxicis adepti, pharmaco dependentes et alii»¹³.

Re quidem vera exeunte ultima bellica eversione, Summus Pontifex Pius XII studuit ut consociationes christifidelium, praesertim quae «Organisationes Internationales Catholicae» (O.I.C.) nuncupabantur, ad laborem aliorum Institutorum Internationalium civilium plene coadiuvarent; idque ad effectum perducerent: ministerium suum consultivum, si possibile, *utentes*, auctoritatem propriam inter gentes *affirmantes*, necnon populum christianum *erudientes*, ut ipse met conscius efficiatur universalitatis propriae fidei, ac de eadem coram omnibus rationem reddat¹⁴. Profecto ab his annis participatio in colloquiis et quandoque in operationibus communis adhibita est Consociationes christifidelium inter et Internationalia Instituta civilia.

Iamiam Institutum «Organisatio Mundialis Sanitalis» hoc tempore operam sese proponebat scilicet:

1° «*Ut investigationes peritorum totius orbis terrarum in ambitu scientiarum collectae sint, quae quidem unicuique nationi prosint in materia publicae sanitatis.*

2° «*Colligere in unum investigationes in universis Institutis scientificis peractas, ideoque incitare progressus*

¹³ PAULUS VI: «*Message à l'O.M.S. pour son 25^o anniversaire*», 9 maii 1973, in «*Documentation Catholique*» 1973, p. 507; cf. «*Osservatore Romano*», 9 maggio 1973.

¹⁴ R.P. JOSEPH JOBLIN S.J., «*La presenza della Chiesa sul piano Internazionale*», in «*Civiltà Catholica*» 1975-IV, pp. 13-28.

scientiae atque usum rerum pro certo adeptarum in campo medico-biologico promovere»¹⁵.

Quapropter multifariam multisque modis ad hoc Institutum (O.M.S.) pro mundi sanitate Romani Pontifices locuti sunt¹⁶; praepriis ipsemet Pius XII, qui de hac re definivit propositum Ecclesiae:

«Longe ab exclusivo ambitu biologicae vel medicalis scientiae, Ecclesia semper magnam habuit considerationem pro sanitate humana ad sustendendas virtutes hominum quoad religionem moresque; quapropter Ecclesia humanam sanitatem semper consideravit conditionem Humanae digni-

¹⁵ Cf. YVES BERAUD, Directeur de l'O.M.S. aux Semaines Sociales de France; Montpellier 1951; «*Documentation Catholique*» 1951, p. 988:

II *Fonction de l'O.M.S.*; «b») *Faire ce que les Etats individuellement ou les Institutions privées peuvent difficilement faire:*

1°) *rassembler les connaissances en matière médicale et sanitaire des savants du monde entier, pour en faire bénéficier tous les pays;*

2°) *accélérer le progrès de ces connaissances par la coordination des recherches dans les Instituts scientifiques de tous les pays.*

¹⁶ PIUS XII, «*Allocution aux Délégués Assemblée Mondiale de la Santé*» in «*Documentation Catholique*» XLVI (1949), 899. Cf. R.P. DE RIEDMATEN, «*Communication à l'Assemblée Plénière de l'O.M.S. 1956*» in «*Documentation Catholique*» LIII (1956) 791.

PAULUS VI «*Lettre Pontificale pour le 20^e anniversaire de l'O.M.S.*» in «*Documentation Catholique*» LV (1968) 971. ID., «*Message pour le 25^e anniversaire de l'O.M.S. 1973*», in «*Documentation Catholique*» LXX (1973) 507. G. étiam Mgr. GERAUD, «*Communication à l'Assemblée plénière de l'O.M.S. 1978*» in «*Documentation Catholique*» LXXV (1978) 731. Mgr. LUONI, «*Le Saint Siège et l'O.M.S.*» *Communication à l'assemblée plénière 1975* in «*Documentation Catholique*» LXXII (1975) 773. ID., «*«La Drogue» Communication à l'Assemblée plénière 1978*», in «*Documentation Catholique*» LXXV (1978) 298 etc...

tatis, in quantum ad Bonum totius Hominis prodest: corporale spiritualeque, tum temporale tum aeternum»¹⁷.

Dein momentum cooperationis omnium hominum ante oculos proponit Romanus Pontifex qui ita proseguitur:

«Certo certius laudandi sunt ii omnes qui privatim ac sua sponte materiam publicae sanitatis incohare satagunt, attamen omnibus qui in ambitu sociali et humanae sanitatis operam dant, Institutum "O.M.S." auxilium magis compositum affert, potissimum eodem tempore totoque orbe terrarum magis dilatatum, ut opus eorundem securum celerumque sit effectum»¹⁸.

Interim beneficium huiusmodi operis ad effectum deductum fore, si et quantum in sollertem cooperationem et in fecundum colloquium convenerint tum ipsimet periti totius orbis tum illi etiam quibus in subsidio veniunt¹⁹.

¹⁷ PIUS XII, «Allocution aux délégués de l'Assemblée Mondiale de la Santé», 29 juin 1949, in «Documentation Catholique» XLVI (1949) 901.

«L'Eglise, loin de considérer la santé comme un objet d'ordre exclusivement biologique et médical, a toujours souligné l'importance, pour les maintenir, des forces religieuses et morales, et elle l'a toujours compté au nombre des conditions de la dignité et du bien total de l'humanité, de son bien corporel et spirituel, temporel et éternel».

¹⁸ PIUS XII, «Allocution aux délégués de l'Assemblée Mondiale de la Santé», 29 juin 1949, in «Documentation Catholique» XLVI (1949) 901-902: «On ne saurait trop louer les initiatives privées... mais elles ne sauraient suffire à elles seules; et l'O.M.S. apporte à cette entreprise éminemment humanitaire et sociale un concours plus universel, plus concerté, et par conséquent d'une efficacité plus sûre et plus rapide...».

¹⁹ PAULUS VI, «Lettre au Dr. Marcolino G. CAUDAN, Directeur Général de l'O.M.S. à l'occasion du 20^e anniversaire de

Reapse haud semel investigationes conclusionesque hujusmodi Instituti (O.M.S.) auxilium magni momenti attulerunt in aestimationes medico-legales peragendas ab Apostolico Tribunali Romanae Rotae, praesertim in aliquibus processibus nullitatis matrimonii, ob argumentum jam supra expositum, scilicet «Incapacitas assumendi onera matrimonialia ob alcoholismum chronicum alterutrius contrahentis».

Cum flagellum intoxicationis alcoholicae toto orbe terrarum sit diffusum, coetus internationalis medicorum in «Organisatio Mundialis Sanitatis» (O.M.S.) Genevae Helvetiorum situs, enixe studium suum impendit ad dignoscendas circumstantias manifestationesque hujusmodi flagelli, quarum conclusiones, omnibus nationibus propositae, acceptae fuerunt.

Ex istis, exempli gratia, manifestationes sociales infirmorum in ambitu capacitatis civilis:

«In primis hi infirmi manifestant stygmata debilis sensus tum moralis tum intellectualis, proinde assuetudo toxica omnem sui aestimationem in iisdem subtrahit omnemque vigorem in agendo prorsus tollit, adeo ut ad illiberalia facinora nonnumquam se concesserint»²⁰.

Quibus autem perspectis, hic coetus scientificus aliquam *definitionem «incapacitatis»*, ab intoxicatione alcoholica profluentis proposuit, quam plane ab om-

l'Institution», 28 avril 1968, in «*Documentation Catholique*» LXV (1968) 972.

«Cette action ne peut porter fruit que dans une active coopération de tous et un fécond dialogue entre les experts et ceux qu'ils viennent aider».

²⁰ Cf. MARCK KELLER: «Incapacités liées à la consommation d'Alcool», Publication O.M.S., n. 32, Genève 1978, p. 47; cf. etiam CHARLES BARDENAT, «*Alcoolisme chronique*», in POROT, «*Manuel Alphabetique de Psychiatrie*» 5^e ed., Paris 1975, p. 30.

nibus hodie percipitur. Haec incapacitas reapse videtur esse:

«Quaedam difficultas ad unam vel complures activitates perficiendas, quae quidem, ratione habita aetatis, sexus, ministerii socialis habitualis subjecti, generatim quotidie uti essentiales et fundamentales ad vitam ducendam habentur»

(Ex. gr. curae personales, relationes sociales, activitates oeconomicae initiales, et ita porro). Hae revera incapacitates, breves, diuturnae vel etiam permanentes esse possunt²¹.

Potissimum etiam, in eodem ambitu medico legali, ad promptiorem reddendam aestimationem processus alcoholici cerebrum infirmi imbuentis, hic Coetus internationalis medicorum classificationem conficere satagit, quae gradum incapacitatis infirmorum, sub influxu alcoholici potus plectantium, facilius aestimare permittunt. Inter alias classificationes adhuc hodie eminet illa a JELLINECK stabilita. Haec autem a diversis elementis in modo sese gerendi infirmi exstructa est, quae sunt: propensio abnormis ad potum alcoholicum consummandum, manifestationes somaticae, psychicae et sociologicae ex hoc abusu promanantes, necnon gradus s.d. «dependentiae» infirmi alcoholicis potibus dediti.

Proinde JELLINECK quinque species alcoholismi chronici enuntiavit, quas sub litteris graecis sic exposuit:

Alcoholismus alpha qui manifestatur a dependentia quodammodo continua sub influxu potus alco-

²¹ Cf. KELLER, EDWARD, GROSS, MOSER & ROOM. «Incapacités liées à la consommation l'alcool», Publication O.M.S., n. 32, Genève 1978, p. 9.

holici sed tantummodo, uti contendit eximius Auctor, in ambitu mere psychologico, in quantum potus alcoholici assumptio aliquod levamen affert in incommodis psychicis, affectivis vel emotivis quotidie perceptis. Attamen potator iste liberum arbitrium suiipsius minime amittit nec incapax habetur abstinendi a bibendo, immo habitus iste in deterius generatim minime evolvitur. Quapropter in hoc gradu alcoholismi de infirmitate proprie dicta haud agitur.

Alcoholismus beta definitur a manifestationibus somaticis conspicuis ob potum alcoholicum iam diu assumptum modo quoque inveteratum, uti sunt: quaedam obesitas, deminuta idoneitas cordis, functiones hepatis et stomachi dilapsae, distortionem plurimas functionum endocrinarum vel etiam apparatus nervorum.

Attamen in hoc gradu alcoholismi chronici, «dependentia» vel assuetudo physica vel psychologica ad potum toxicum in infirmo difficulter detegitur.

Alcoholismus gamma in quo infirmus adeo obnoxius est potui alcoholico ut libertatem propriam omnino amiserit moderandi vel adimendi habitudinem perversam.

In hoc gradu intoxicationis, praeter alias manifestationes somaticas iam supra evocatas, contendunt Auctores infirmos illos aliquando a potu toxico abstinendi per aliquod tempus pervenire, sed periodus abstinentiae infirmitatem eorundem non infirmat sed confirmat in quantum, quodam temporis spatio elapso, in habitudinem perversam iidem reincident. Hoc autem manifestat subiectum aliquas alterationes subisse in apparatu somatico, praesertim nervorum, et quidem in ambitu psychico liberum arbitrium amisisse.

Alcoholismus delta manifestatur a dependentia

vel assuetudine tum physica tum psychica potui alcoholico qua consequitur infirmum omnino impari esse ad abstinendum a potu toxico. Immo ille manifestat stigmata seu symptomata «status privationis» seu abstinentiae, cum laesionibus somaticis et distortionibus psycho-affectivis, gradatim ducentibus ad debilitatem intellectus, subdolas hallucinationes vel denique ad «delirium tremens».

Alcoholismus epsilon, denique, qui etiam «dipsomania» nuncupatur. Hic ultimus gradus manifestatur ab ictibus periodicis alcoholismi acuti, cum temporibus plus minusque extensis abstinentiae seiunctis²².

Accedit denique quaedam difficultas in aestimatione critica gradus infirmitatis horum aegrotantium, quia nonnumquam familiares gravis conditio psychica alcoholici infirmi effugere potest, ideoque comparatem quacum nuptias celebrare intendit; quod aliquando exstat propter «tolerantiam» socialem et functionalem vinolentiae. Hoc autem notandum est in testium processus excussione a iudice instructore, quoad prolationes canonicas infirmitatis.

Haec revera «tolerantia» est, vulgo dictu: «*capacitas subjecti copiam potus alcoholici sumendi, absque quadam specie commotionis physicae vel etiam psychicae*». Reapse vis «tolerantiae functionalis» consequitur productam expositionem ad toxicum totius apparatus psycho-biologici infirmi. Proinde sub influxu condensatae renovataeque acervati potus alcoholici assumpti, crebras alterationes psycho-functionales clam inferuntur atque sensim sine sensu, his in subiectis iampridem aegrotantibus, ad corruptiones somati-

²² *Ibid.*: Publication O.M.S. *op. cit.* cf. etiam *ENCYCLOPEDIE MEDICO CHIRURGICALE*, «Alcoolisme chronique», vol. «Psychiatrie»**, Paris 1976, p. 37398, A20.

cas et distortionem conclamatas ingenii illos producant²³.

His in adjunctis, saepe saepius nihil conspicitur eventuum huiusmodi vitii, nonnisi quaedam propensio se inebriandi; quocirca arbitrantur medici insignes in arte medico-legali: apud hos infirmos toxicis assuetos, impregnatio alcoholici potus subjectum pervadentis consequitur habitum intermedium intoxicationem acutam inter et functiones physiologicas dilapsas, a solo medico vel perito notas; quae autem, in peritiam interpretandam, habitum alcoholicum occultum cuiuscumque gradus suggerunt.

Ex supradictis, nullum dubium quin instituendus sit communis sermo cum medico perito, a iudice selecto, qui medicus quaesitis Tribunalis respondere tenetur, scilicet: utrum infirmitas quae contenditur a partibus realiter adfuerit in subjecto, quo tempore apparuerit, quo gradu attigerit (praesertim ad trami-tem classificationis JELLINECK), et ideo an affectione alcoholica laboranti tempore nuptiarum revera defecerint: sive omnes facultates mentales requisitae ad ducendum (cf. can. 1095, 19, sive iudicium criticum ac voluntas libera et efficiens ad valide contrahendum (cf. can. 1095, 2°), sive conditiones psycho-physicae necessariae ad obligationes matrimoniales assumendas (cf. can. 1095, 3°), ita ut in communione vitae et amoris conjugalis consentire non valuerit contrahens.

His positis, habitisque omnibus mediis probationis a lege canonica iniunctis, quibus iudici sese eximere non licet, aperte manifestatur quomodo ad trami-

²³ Cf. MILTON GROSS, «*Tolérance à l'alcool*» in Publication O.M.S. n. 32, pp. 115ss. cf. etiam C. MULLER, «*Comment interpréter une alcoolémie*», in *Concours Medical*, 21 juin 1980, p. 3821.

tem huiusmodi Instituti Internationalis «*Organisatio Mundialis Sanitatis*», officium tum medici periti tum iudicis in processu facilius redditur ad iustitiam servandam necnon aequitatem canonicam assequendam pro bono animarum, de quo locutus est Summus Pontifex JOANNES PAULUS II in nuperrimo suo Nuntio ad Institutum Mundiale pro sanitate²⁴.

BERNARD DE LANVERSIN

²⁴ JOANNES PAULUS II: «*Message à l'O.M.S.*» du 28 novembre 1988, in «*Documentation Catholique*» LXXXVI (1989) 107.

«*En instituant l'Organisation Mondiale de la Santé, il y a environ 40 ans, la Communauté internationale des peuples se proposait d'atteindre une des plus hautes finalités auxquelles puisse aspirer l'homme de notre temps... Le degré de civilisation de chaque société pourra se mesurer à la façon dont elle saura répondre aux exigences de la vie et aux souffrances de la personne humaine.*».